



137

MUSEI WORMIANI
HISTORIÆ
DE
VEGETABILIBVS RARIORIBVS
LIBER SECUNDVS.

CAP. I.

Instituti rationem edocens.



EXPEDITIS libro primo fossilibus, quibus jam gaudet Museum nostrum, ut pedem promoveamus ad ea quæ supra terram proveniunt, instituti nostri postulat ratio.

Inter ea verò VEGETABILIA nobis primo loco offert Natura, ab imperfectioribus ad perfectiora adscendens, quæ vivunt, augentur, & sibi similia procreare apta nata sunt.

Hic verò animus non est, ad ea nos diffundere, quæ de Vegetabilibus in genere dici possunt, aut integram eorum Historiam proponere, quod operis foret immensi, in quo etiam desudarunt cum laude alii Viri Clarissimi. Nec Plantas omnes, quas vel ficcas in

Museo tenemus, vel vitides in Horto colimus, hic enumerare studebimus: sed rariores saltem quasdam, quas vel nostrum solum non gignit; vel si gignat, aut observationibus quibusdam necessariis earum historię sunt locupletandæ, aut raritatis nomine celebrandæ. De aliis, præsertim iis quibus in officinis Daniæ utimur, aliàs differuimus. Ita verò Stylum temperabimus, ut primo Plantas rariores, quas vel integras, vel maximâ ex parte tenemus, proponamus; hinc aliarum partes, quibus maxime ob usum sunt nobilitatæ, exhibebimus. Radices, folia, ligna, cortices, fructus, Semina, Gummata, Succos, suâ raritate commendatos. Sed ab imperfectioribus, quæ non omnes partes, quibus planta perfecta gaudet, habent, ut sunt fungi & Musci, ad perfectiores paulatim progrediemur.

CAP. II.

*De fungis, Agarico, fungo Sambucino, fungo Rosæ caninæ,
Boleto cervino, Pilâ Stagnali.*

PLANTÆ quas jam describemus, non tam Plantarum, quam excrementorum Vegetabilium nomine ab aliis insigniuntur, cum partibus Plantarum destituantur, & in aliis Vegetabilibus nascantur ac proveniant.

AGARICUS, vel AGARICUM, ut quidam volunt, fungus est, Abieti, Picæ Silvestri, Teda & Larici adnascens, sed Lariceus reliquis præfertur, albus, levis, friabilis, pituitoso